

„Ecclesie inventionem, in corporali & quidem certa imagine, privata phantasia atque inhaesione collocet: quasi in illa sit quaedam necessitas, ut per eam, & non aliter, inducatur Deus & Sancti id facere quod petuntur.

XXVIII. Monet tamen Synodus, & quidem iterato in eodem illo Canone, ut in hac re procedant, „adhibitis prius, in consilium Theologis, & Christianarum antiquitatum, scientissimis juxta ac pietissimis viris; ut sic salubri Ordinariorum providentia à pernicioso idololatriæ scelere populi præservetur simplicitas,“ ait Synodus.

XIX. Scopum seu finem imaginum jam pridem brevi verborum compendio expressit S. Gregorius *lib. 7. epist. 110.* Sereno Episcopo Massiliensi inscripta: „Idcirco enim pictura in Ecclesiis adhibetur, ut hi qui litteras nesciunt, saltem in parietibus videndo legant, quæ legere in codicibus non valent. Tua ergo Fraternitas (ait) & illas servare, & ab earum adoratione populum prohibere debuit: quatenus & litterarum nescii haberent, unde scientiam historiarum colligerent: & populus in picturæ adoratione minime peccaret.“ Idem Latine exponit *lib. 9. epist. 9.* ad eundem Serenum.

Quin & usum imaginum supra usum librorum extollegere videtur Synodus VII. *actio 6.* dicens: „Lectio enim minus nonnunquam recitatur in venerabilibus templis, imaginis verò formatio vespere, mane & meridie, tamquam in eis stabilita, narrat nobis & annuntiat veritatem gestorum.“ Habetur *tomo 7. Concilii General. col. 539.*

XX. Patrum ac Synodorum doctrinæ insistentem Synodus Trid. Monet in citato decreto, „illud diligenter doceant Episcopi, per historias mysteriorum nostræ Redemptionis, picturis, vel aliis similitudinibus expressas, erudiri, & confirmari populum in articulis fidei commemorandis, & assidue recolendis: tum verò ex omnibus sacris imaginibus magnum fructum percipi; non solum quia admonetur populus beneficiorum, & munerum, quæ à Christo sibi collata sunt, sed etiam quia Dei per Sanctos miracula, & salutaria exempla oculis fidelium subsistantur: ut pro iis Deo gratias agant, ad Sanctorumque imitationem vitam, moreque suos componant, excitenturque ad adorandum, ac diligendum Deum, & ad pietatem colendam.“

Hæc verba expressit Synodus P. I. Cameracensis titulo *De Imaginibus cap. 4.* dicens: „Præterea admonetur populus, imperitæ plebis causa maxime positas esse imagines: ut illarum aspectu docti, & moniti patrocinium Divorum & pietatem in Christo conservemus, & eorum vitam imitemur.“

XXI. Sicuti ergo Ecclesia semper admodum sollicita fuit, ne quid falsi in divino officio aut publicè in Ecclesiis prælegeretur, ne ipsa lectio populo erroris occasione præberet, ut supra *parte 1. titulo 16. cap. 9.* ostensum est, ita quoque cavendum est, ne in ipsis picturis & imaginibus quidquam falsi exprimat, ne alias ex ipsis imaginibus seu idiotarum libris in falsitatem & errorem populus incidat; quemadmodum monet Synodus Tridentina vehementer cupiens, „ut nullæ falsi dogmatis imagines, & rudibus periculosi erroris occasionem præbentes statuatur.“

Hæc de causâ puerperium B. Virginis decumbentis & ægrotantis, non esse pingendum ostendit Joannes Molanus in Historia SS. Imaginum *lib. 2. cap. 27.* eo quod ex hujusmodi imagine facile inducerentur rudiores in eum perniciosum errorem, quod Beata Virgo adinstar aliarum mulierum dolores partus fuisset experta, & puerperium subisset.

Et S. Carolus in Synodo Mediolanensi *I. tit. 1. cap. 7.* ait: „Illud imprimis caveant Episcopi, ne quid pingatur, aut sculpat, quod veritati Scripturarum, Traditionum, aut Ecclesiasticarum historiarum adversetur: ne cuius lectio prohibetur, ejus imago populo proponatur.“

XXII. Verum licet Episcopi & Parochi aliique quibus cura incumbit, satagere debeant, ne quid falsi per imagines repræsentetur, vel ne alicujus erroris occasio populo detur, nihilominus subinde ob majora mala evitanda, & ne ex earum amotione quorundam infirmitas nimium turbaretur, expedit aliquas imagines jam positas tolerare, licet quæ in iis repræsentantur non sint adeo certa; imò scientiarum etiam falsa; modo non talis sit falsitas, quæ nata sit in perniciosum errorem aut circa dogmata, aut mores populum inducere, quemadmodum ostendit Molanus loco citato *cap. 28.* monens, ut interim doceantur simplices, quid ex hujusmodi imaginibus sit discendum, quid non discendum.

Similiter ne ex inspectione imaginum in periculosum errorem rudiores incidant, vult Synodus Tridentina: „Quod si aliquando historias & narrationes Sacræ Scripturæ, cum id indoctæ plebi expedit, exprimi, & figurari contingerit: doceatur populus, non propterea Divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus aut figuris exprimi possit.“

XXIII. Hic fati indicat Synodus, magnâ cautione imagines Divinitatem sive Sanctissimam Trinitatem sub corporali specie exprimentes esse populo proponendas.

Et quidem multis seculis imagines SS. Trinitatis in Ecclesia Romana ignotas fuisse constat. Eas tempore Nicolai I. adhuc Ecclesiam Romanam ignorasse notat ex ejus epistola ad Michaëlem Angustum Christianum Lupus *tom. 2. Scholiorum in Canones pag. 1175.* „adducit tamen (inquit) licet alio sine, rationem, ex qua postmodum Dei Patris imagines Romana Ecclesia admittit: *Dens, qui est invisibilis & corporeus, non per propriam substantiam deitatis, sed per subjectam creaturam apparuit mortalium oculis, in forma antiqui dierum.* Hinc in eadem ipsam Ecclesiam pingit. Quod quando cæperit, fateor me ignorare.“

Similiter Vir eruditus Joannes Mabillonius in præfatione ad partem I. seculi 4. Benediclinorum *§. 3. num. 19.* reflectens ad definitionem Synodi VII. super cultu SS. imaginum, inter alia notat, in illa definitione, nihil decerni de SS. Trinitatis, Dei Patris, aut Spiritus S. picturis, quas (ait) *necdum etiam admittēbat aras illas.*

Usus tamen earum nemo hodie improbat, modo ea adhibeatur moderato, quam Synodus Tridentina requirit: ut nimirum primum expendatur, *an indoctæ plebi expediat:* & insuper populus ritè doceatur, *non propterea Divinitatem figurari, quasi corporeis oculis conspici, vel coloribus aut figuris exprimi possit.* Videri poterit Molanus *lib. 2. Historia SS. imaginum cap. 3. & 4.*

XXIV. Post hæc monet Synodus, ut *omnis superstitio in imaginum sacro usu tollatur.*

De hoc abusu tollendo scribit Molanus *lib. 2. cap. 3. & 5.* notatque quod „sicut Synodus Cameracensis sub Maxiliano Archiepiscopo primò celebrata, abominandam dicit esse vanitatem & superstitionem eorum qui certo pollicerentur non ex hac vita migraturos sine penitentia & Sacramentis, qui hunc illusionem ex Divinis coluerint: sic etiam vanissimæ superstitionis arguendum est, si quid tale sacris imaginibus alicubi subscriptum habeatur.“

Sed quid si tale quidem imaginibus non sit subscriptum, sed historiarum aut miracula ita repræsententur, ut ex ea representatione populus in hanc abominandam vanitatem & superstitionem facile sit inducendus; quemadmodum non raro contingere posse, haud difficulter judicabit, qui attenderit imagines in facellis quibusdam depingi solitas.

XXV. Addit demum Synodus Tridentina: „Omnis denique lascivia vitetur; ita ut procaci venustate imagines non pingantur nec ornamentum... Postremò, tanta circa hæc diligentia & cura ab Episcopis adhibeatur, ut nihil inordinatum, aut præposterè, & tumultuarie accommodatum,

datum, nihil profanum, nihilque inhonestum appareat; cum dominum Dei deceat sanctitudo.“

Hoc Decretum renovans Synodus P. II. Mechliniensis *titulo 14. cap. 1.* præcipit ut „curent diligenter Episcopi, ut in imaginibus tam sculptis, quam pictis loco sacro jam illatis, vel deinceps inferendis, nihil inordinatum, nihil profanum, nihil inhonestum appareat: neque in intima altarium tabula, vivorum effigies depingantur.“

XXVI. Et Synodus P. I. *titulo De Imaginibus vult,* „ut è templis & locis sacris tollantur imagines, sculpturæ, aulæ quæ Gentilitatem, aut mendaces Ethnicorum fabulas, Satyrorum, Faunorum, Sirenarum, Terminorum & Nympharum, ac id genus alia repræsentant. Similiter quæcumque figuræ lascivæ, procacis, & ob pudendam nuditatem, vel alias obscenæ & superstitiosæ, quæ Fidelium mentes à religione & devotione distrahant, & sapius graviter offendunt.“

Deinde *cap. 2.* subjungit. „Provideant præterea Episcopi, ne ad ornatum supplicationum Venerabilis Sacramentum, aut Reliquiarum quarumcumque, exponat quisquam, ullas similes imagines, sculpturas aut aulæ, idque sub potestatis arbitrio eorum infligenda; impletor etiam ad hoc, si opus sit, contra secularis auxilio brachii secularis.“

XXVII. Nec tantum indecens esse ut hujusmodi picturæ aut imagines lascivæ habeantur in Ecclesiis, sed etiam in hortis aut domibus Ecclesiasticorum merito eadem Synodus *cap. 3.* judicat; easque è domibus & hortis tolli jubet; & nisi Clerici obedierint, vult ut curent Episcopi contra illos ad condignam punitionem procedi.

XXVIII. De lascivia vitanda in picturis ac statuis agit pluribus in locis Molanus in citata historia, ac signanter *lib. 2. cap. 37.* ubi adductis relatis verbis Concilii Tridentini insert: „Ut ergo sacris Divorum imaginibus honor & veneratio major impendatur, oportet eas sic depingi, sculpti & effigiarum, ut quosdam velut igniculos in hominum pectoribus succendant: omni levitatis atque lasciviæ, quod contuendum oculis offendere queat, ostendiculo sublato.“

XXIX. Tum contra pictores & ornatores imaginum & statuarum, qui etiam ipsis imaginibus & statuis D. Virginis & aliorum Sanctorum ornatum levem & lascivum appingere aut adjicere non verentur, suâ expositâ querelâ, concludit: „Quid commune Virgini sanctissimæ, pudicitie, numeris omnibus perfectæ atque expletæ, cum ornatu illo penè dixerim meretricio? Quid sanctis Martyribus, Christique Confessoribus cum plusquam profano apparatu?“

XXX. Rursus *cap. 42.* merito invehitur in pictores, qui Infantem Jesum nudum sculptant aut pingunt. „Quid enim (ait) in hac nuditate esse potest ædificationis? Atque utinam nulla hinc oriatur in parvulis destructio, nullum in puillis scandalum?... Certè si antiquas picturas consulerent velint, facile advertent in eis Puerum Jesum decenter & honestè depictum esse, ac sese multum à Majorum simplicitate degenerasse.“

Deinde nonnullis interpositis contra illos qui in hortis domibusque suis retinent picturas lascivas subjicit: „Quid est necesse in templo depingere David contemplantem è fenestra Bethsabeam, & ad stuprum evocantem; aut amplexentem ad se delatam Sumamitum? Herodiadis filiam saltantem? Argumenta sumpta sunt è Divinis libris, sed in exprimendis feminis quantum admittent artifices nequitie?“

Refert quoque eodem capite ex Guiljelmo Durando in Rationali Divinorum Officiorum *lib. 1. cap. 5.* „Græci tunc imaginibus, pingentes illas ut dicitur, solum ab umbilico supra & non inferius, ut omnis stultæ cogitationis occasio tollatur.“

XXXI. Ut autem hæc in imaginum usu vitentur, & eorum usus ad ædificationem populi reducatur, statuit Synodus Tridentina: „nemini licere ullo in loco, vel Ecclesia,

Van Epsen 7ur. Eccl. P. II.

etiam quomodo libet exempta, ullam insolitam ponere, vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo probata fuerit.“

Insecuta hoc Decretum Synodus P. II. Mechliniensis *titulo 14. cap. 1.* decrevit: „Ne per falsi dogmatis imagines, rudibus periculosi erroris occasio præbeatur, nulla unquam in Ecclesiis etiam exemptis insolita imago ponatur, nisi ab Ordinario prius approbata fuerit.“

XXXII. Sanctus Carolus in Synodo Mediolanensi *I. cap. 7. titulo 7.* vult, ut „uniuseujusque imaginis os, corporis, habitum & statum, ornatum, & locum inspiciendum curent Episcopi; ut hæc omnia ad prototypi dignitatem & sanctitatem apta sint & decora; atque ex imaginis inspectione pietas excitetur, nulla verò turpis cogitationis deest occasio.“

Si Episcoporum Pastorumque curâ & auctoritate procuraretur, ut nullæ imagines aut statuae in Ecclesia ponerentur, nisi quarum inspectio ad pietatem virtutesque incitaret intuentes; ipsarumque imaginum proprius ac legitimus usus populo frequentius exponeretur, spes esset, fore ut optatus & intentus ab Ecclesia ex imaginum usu fructus haberetur, & hæreticis earum legitimum usum culpandi prætextus ex quorundam abusu & indiscreto imaginum cultu accepto subtraheretur.“

XXXIII. Plurimum quoque ad decorem Divini officii, nec non pietatem reverentiamque erga Divina mysteria excitandam & fovendam conducit, ut omnia ordinatè peragantur in Ecclesiis.

Hinc in finem jam pridem erant Diaconi aliique ministri, qui continuo invigilarent, monerentque ut omnia suo tempore & loco debita cum reverentia & ordine fierent; quemadmodum de Diaconis *parte 1. titulo 1. cap. 3.* notatum fuit.

Eundem in finem distincta erant Laicorum & Clericorum, & mulierum ac virorum loca; nec hi illorum loca occupare, sed omnes suis locis consistere debebant.

XXXIV. Clericorum locum à laicorum separatim olim fuisse notissimum est, neque laicos eum patuisse. „Ut laici secus altare in quo sacra mysteria celebrantur inter Clericos tam ad vigilias, quam ad missas penitus stare non præsumant: sed pars illa quæ cancellis versus altare dividitur, tantum choris psallentium pateat Clericorum.“ ait Synodus Turonensis *II. Can. 4.* Rectè addit Synodus, *tam ad vigilias, quam ad Missas,* ut significant quid per sacra Mysteria Patres intellexerint. Id ipsum habemus in *Canone 69.* Synodi VI. ubi dicitur: „Nulli omnium liceat, qui quidem sit in laicorum numero, intra septa sacri altaris ingredi.“

XXXV. Locus Clericorum, quem subinde *Sacrarium,* subinde *Sancta Sanctorum,* & hodie communis, *Chorum* à psallentium *choris* dicimus, à laicorum loco cancellis quibusdam separatus erat, ut ex citato Canone Turonensi patet & latius ostendit Leo Allatus in epistola de *templis Græcorum;* & hodierna antiquarum Cathedralium & Collegiarum Ecclesiarum structura ostendit.

XXXVI. Quin & velum quoddam ipsis cancellis obdudum erat, quod non nisi certis temporibus pandebatur: uti in quibusdam Monialium Monasteriis adhuc observatur. Videmus olim velum, quod eorum locum ab Altari separabat, pandi cum ad canonem in Missa per ventum fuerit.

Hujus veli meminit S. Chrysolomus *Homil. 6. ad populum Antiochenum:* „Cum vela videris retrahi, tunc sit perne cœlum aperiri cogita, & Angelos descendere.“ Et meminit S. Gregorius *lib. 3. epist. 30.* nec non seculo 12. Petrus Blefensis *Sermone 1. in Quadragesima.* „Interponitur velum inter psallentes & populum, alterius quidem & gratiâ significationis, sed ad hoc tamen, ut lasciviam tollat oculorum.“

Hæc omnia renovantur in *Cap. 1. De vita & honest. Cler.* ubi sub nomine Concilii Moguntini refertur: „Ut laici secus altare, quando sacra Mysteria celebrantur,

X x 3

„stræ

stare vel sedere inter Clericos non presumant; sed pars illa quæ cancellis ab altari dividitur tantum psallentibus pateat Clericis.

XXXVII. Addit deinde hanc clausulam: "Ad orandum verò & communicandum laicis & fœminis (sicut mos est) pateant sancta sanctorum." Ita legitur in editis & vulgatis Decretalibus Gregorii IX. uti & in prima Decretalium collectione Antonii Augustini; notat tamen ibidem Antonius Augustinus aptius in veteri esse, ad adorandum; uti etiam legitur apud Ivonem parte 2. Decreti cap. 137. eamque esse genuinam Canonis lectionem, multis astruit Emanuel Gonzales in notis ad citatum Capitulum primum; doctèque advertit, errorem natum ex more antiquiorum notissimo, non geminandi eandem litteram seu directionem. Veteres enim (ait) non geminabant litteram, sed sicut supra ponebant, ut eam notã lector admoneretur, duplicandam esse litteram; "cujus rei ignorantia vitia quamplurima in Pandectis referunt; quod pluribus ibidem adductis exemplis ostendit. Itaque cum hic esset geminanda dictio ad, eam geminandam esse notã quãdam indicãrunt, quod Recentiores non advertentes geminationem omiserunt: & pro ad adorandum posuerunt ad orandum.

Itaque Patres prohibent, ne laici secus altare, dum sacra mysteria celebrantur, intra cancellos cum Clericis psallentibus stare aut sedere audeant, ad adorandum verò Corpus Domini, & communicandum sinunt, ut referato velo pateant Sancta Sanctorum; non ut ad communicandum accedant; sed extra chorum existentes communicent; quemadmodum hodie in nonnullis Monialium Monasteriis videmus observari, mox ad ipsum Canonem Missæ referari velum quo Monialium locus ab altare separatur; tamen nec ad communicandum ad altare accedant.

XXXVIII. Hanc disciplinam etiam posteriores plures Synodi renovãrunt; additã tamen aliqua moderatione quoad Ecclesiarum Patronos & alias Illustriores personas. Synodus Wigorniensis anno 1240. Can. 3. "Ne laici stent in cancellis, dum celebrantur Divina, salvã tamen reverentiã Patronorum & Sublimium personarum." Plures citat Franciscus Le Roy Antecessor Andegavensis libro 2. De Juribus honorificis in Ecclesia cap. 3. qui postquam dixit, "Sed fortè vel sordida Clericorum adulationi, vel Patronorum insolentiã tribuendum est, quod etiam in choro possint habere fixa sedilia, quæ S. Ambrosius Theodolius Imp. denegavit, & postea sacri Canones soli concesserunt Imperatori; non etiam aliis quibuslibet laicis," deinde subiungit: "Eo jure utimur, ut qui Clericis Ecclesiam dederunt, & Canonista stipendia, honorabiliorem locum in ea teneant, ait Chassanæus in Catalogo Gloriæ Mundi parte 4. consil. 18." Hæc ille.

XXXIX. Synodus Aquensis anno 1385. titulo De Choro priscum Ordinis decorem ad Divinæ Majestatis obsequium revocare cupiens decrevit, laicos homines (& multò minus mulieres) dum Divina celebrantur, intra cancellos chori nequaquam esse admittendos. Laici verò nobiliores (ait) & qui vel Christianissimi Regis Conciliarii & Officiales, aut ex Militaribus Ordinibus, aut Communitatum Magistratibus fuerint, poterunt intra chorum admitti, si eo in loco Divinis officiis interesse velint; tamen (ait) ut post Clericos sedeant, nec inter Clericos ipsis sedere liceat.

Quin tamen tamquam Patroni, aut etiam in qualitate Magistratû Regii habere queant subinde, vel ex consuetudine, concordato, aliove jure locum ante ipsos Clericos, dubium non est; & quotidiana praxis evincit.

XL. Fœminæ verò (ait citata Synodus) cujuscumque conditionis, & status sint, nullo unquam tempore, nulla, ve ex causa, dum Divina officia celebrantur, aut verbum Dei prædicatur: denique iis horis, quibus clerici tam secularares quam regulares in choro præsentis esse debent, intra eundem chorum, aliquemve ejus locum secretum etiam superiorem admittantur.

Plures tum veteres, tum recentiores, etiam ex Synodis Belgicis Canones vetantes accessum mulierum ad altaria tempore Divini officii, relati sunt hac parte tit. 5. cap. 3. num. 29.

XLI. Ad decorem quoque Ecclesiarum; omnemque confusionem, & mali occasionem tollendam jam pridem receptum fuit, ut alio viri, alio loco mulieres in Ecclesia consistant.

Sanctus Augustinus lib. 2. De Civitate Dei cap. 28. scribit: "Populi conflunt ad Ecclesias castã celebratã, honestã utriusque sexus discretione." Plura in eam rem citat Christianus Lupus tomo 2. Schol. in Canones pag. 991. hancque discretione virorum à mulieribus tamquam constantem expresserunt, qui seculo decimo & undecimo de ritibus Ecclesiasticis scripserunt. "Diaconus (ait Micrologus) cum legit Evangelium, juxta Romanum ordinem in ambone vertitur ad meridiem, ubi & masculi conveniunt; non ad aquilonem, ubi fœminæ consistunt.

Hæc disciplina in plerisque Parochialibus præsertim Ruralibus Ecclesiis hodie religiosè servatur; at in Ecclesiis civitatum nullus penè ordo retinetur; sed maxima ac deplo-randa confusio in plerisque Ecclesiis tempore Divinorum Officiorum videtur. Episcoporum aliorumque Prælatorum officium est, juxta sacros Canones atque iterata Synodorum Decreta providere, ut omnia in templis ita sint ordinata, ut veraciter dici queant Domus orationis & domus Dei.

CAPUT II.

De Ædificandis Ecclesiis, & quæ intervenire debeant.

1. Etiam sub Imperatoribus Gentilibus Ecclesia ædificata fuerunt.
2. Datã pace Ecclesia, modus ædificandis Ecclesiis præfixus est.
3. Verum fuit ædificare sine auctoritate Episcopi.
4. Oratoria privata quomodo sine auctoritate Episcopi liceret ædificare?
5. Quid Episcopus attendere debeat in admissione novæ Ecclesiæ?
6. Quid proprie nomine Oratorii significetur?
7. Quid nomine Capellæ?
8. Quo loco olim Oratoria Martyrum extruerentur.
9. In admissione nova Capellæ attendi debet, ne populus à Parochiali Ecclesia abstrahatur.
10. Sacella non ædificanda questus causa.
11. Nova Ecclesia Parochialis ob præjudicium veteris sine rationabili causa construi nequit.
12. Causa legitima est, si populus sine magno incommodo ad Ecclesiam Parochialem accedere nequeat.
13. Non requiritur longinquitas aut discrimen viarum.
14. Quod censetur magnum incommodum, relinquatur arbitrio judicis.
15. Probari non debet, Parochianos aliquando discessisse sine Sacramentis ob Ecclesiæ distantiam.
16. In erectione nova Ecclesiæ Parochialis Rector veteris Ecclesiæ audiri debet.
17. Si sine justa causa consentire nolis, potest Episcopus consensum supplere.
18. Unde desumenda sustentatio Rectoris nova Parochia ex Decreto Synodi Tridentina.
19. Quid circa hoc Decretum observatum in Belgio?
20. In Belgio sine auctoritate Regis difficulter perficitur nova Parochia erectio.
21. Episcopus aliquando visitare omnibus modis debet, ut nova Parochia erigatur.

22. Si

22. Si nova Parochia erigi nequeat, per plurimum Sacerdotum adjunctionem Parochianis subinde succurrendum.

23. Interdum etiam per Capellæ extruentionem.

24. In casu magni incommodi non facile omittenda nova Parochia erectio.



Tiam ante Imperatores Christianos fuisse Ecclesias ædificatas multis ostendit Cardinalis Baronius ad annum 57. atque id ipsum evincunt edicta Imperatorum Ethnicorum de Ecclesiis Christianorum demolendis promulgata, quorum meminit Eusebius lib. 8. cap. 1. additque Eusebius, jam à Christianis, prout indies numerus augetur Credentium, ampliores angustioresque antiquis illis esse excitas Ecclesias, Verba ejus sunt: "Quo factum est, ut priscis ædificiis jam non contenti, in singulis urbibus spatiosas ab ipsis fundamentis extruerent Ecclesias.

II. Datã verò pace Ecclesiæ; ipsis quoque Imperatoribus ad Christum conversis, tot passim ædificari cœperunt Ecclesiæ, ut ipsi primi Imperatores Christiani modum earum extruentioni ponere sint coacti; quemadmodum ex variis eorum Legibus & Edictis in Codice Theodosiano & Justiniano etiam nunc hodie extantibus patescit.

III. Et quidem ea ædificationi Ecclesiarum lex posita est, ne quis eas absque consensu Diocœsanæ Episcopi ædificet; quemadmodum Can. 4. Concilii Calchedonenis cautum est, & à Gratiano caus. 18. q. 2. Can. 10. his verbis refertur: "Placuit igitur neminem aut ædificare, aut construere Monasteria, aut Oratorii domum sine conscientia ipsius civitatis Episcopi.

Id ipsum pluribus confirmavit Justinianus Imperator signanter Novella 67. cujus Rubrica habet: Ut nullus fabricet Oratorii domos præter voluntatem Episcopi.

Deinde cap. 1. ait: "Sanctimus igitur præ omnibus quidem illud fieri, & nulli licentiam esse, neque Monasterium, neque Ecclesiam, neque Orationis domum incipere ædificare, antequam civitatis Deo amabilis Episcopus orationem in loco faciat, & crucem figat, publicum processum illuc faciens, & causam manifestam omnibus statuens. Multi etiam simulantes fabricare quasi Orationis domos, suis modentur languoribus, non orthodoxarum Ecclesiarum ædificatores facti, sed speluncarum illicitarum...

Hoc Justiniani Decretum, tam Imperatorum, quam Synodorum sanctionibus sæpius renovatum fuit; uti videre est lib. 5. Capitularium Regum Francorum cap. 382. nec non apud Gratianum Dist. 1. De Consecrat. ubi plures eam in rem Canones refert.

IV. Notandum est tamen, quod eodem libro Capitularium c. 383. dicitur: "Qui in domo sua Oratorium habuerit, orare ibi potest; tamen non audeat in eo sacras facere missas sine permisso Episcopi loci illius.

Illud quoque ex Synodo Aurelianensi recitat Gratianus Can. 33. Dist. 1. De Consecrat. "Unicuique Fidelium in domo sua Oratorium licet habere, & ibi orare; Missas autem ibi celebrare non licet." scilicet sine licentia Episcopi.

Sub Missarum celebratione comprehendit aliorum quoque Sacramentorum administrationem, elucet ex multis aliis Canonibus, ac signanter Canone 31. Synodi VI. qui habet: Clericos, qui in Oratoriis, quæ sunt intra domos, Sacra faciunt, vel baptizant, hoc illius loci Episcopi licentia facere debere decernimus. Quare si quis Clericus hoc non sic servaverit, deponatur.

Neque etiam nunc hodie vetitum est, in domibus quantumvis privatim construere Oratoria orationis causã; modo nec Missæ, aut alia officia publica peragantur.

V. Porro Episcopus in admittendis novis Ecclesiis primò examinare debet, num justa causa sit ædificandi Ecclesiam; in quo examine alia attendenda sunt circa ædificatio-

nem Ecclesiarum Parochialium; alia circa novam extruentionem Oratoriorum seu Sacellorum vel Capellatum.

VI. Oratorium propriè dicitur ædes, ubi oratur, sive locus orationi dicatus. Hinc illud Augustini Ep. 109. "In Oratorio nemo aliquid agat, nisi id, ad quod est factum; unde & nomen accepit. Vide latius Du Cange in Glossario verbo, Oratorium; qui notat: "Oratoria deinde dicta esse, Sacella Monasteriis adjuncta, quæ non erant omnibus pervia uti Ecclesiæ, & in quibus collectas celebrare non licebat, sed erant tantum ad Monachorum preces & assiduos cantus accommodata; quod multis Veterum testimoniis confirmat; ac post hæc monet, Oratoria tandem dicta Sacella quædam domestica, aut privata ædes sacræ, in agris & villis extructæ; quæ Parochiarum jus non habebant, & à Magnatibus in fundis suis dotabantur, & ab Episcopis consecrabantur." Pluribus dein citatis Conciliis quæ de hisce Oratoriis agunt, concludit: "Ex quibus docemur, in iis Missas teneri propter fatigationem familiaria permissi, præterquam in maximis festivitibus, quas & Presbyteri qui ea deserviunt, & laici, in civitatibus cum Episcopo tenere jubentur.

VII. De Capellis varia tradit citatus auctor in eodem Glossario, verbo Capella; eamque vocem diversimode sumptam fuisse annotat, atque postmodum Capellas dictas esse, quasvis ædículas sacras, Oratoria, quæ proprios Sacerdotes non habebant; seu ædes sacras, quæ non erant baptismales. Hinc & titulus in Decretalibus De Capellis Monachorum & aliorum Religiosorum; eò quod Monachorum Ecclesiæ sint dumtaxat quasi Oratoria; primariò non ad conventum populi, sed Monachorum dumtaxat destinata.

Aliqua Oratoria sive Capellæ jam pridem extructa fuerunt ob honorem alicujus Sancti præsertim Martyris, illaque & hodie frequentissima sunt, tum ipsis Ecclesiis majoribus juncta, tum extra illas, & loco ab iis remoto extructa.

VIII. Olim hujusmodi Oratoria in honorem Martyrum plerumque extruebantur eo loco, quo sacra ipsorum ossa reservabantur, aut ipsi pro Christo passi fuerant; quæ propterea antiquitus Martyria dicta fuerunt, Martyrium (austri-dorus) locus Martyrii, græcã derivatione, eò quod memoriam Martyris sit constructum, vel quod sepulchra sanctorum ibi sint Martyrium. Plura habes apud Du Cange in Glossario verbo, Martyrium.

IX. Circa hæc Oratoria, Capellas & Sacella, ut hodie vocant, admittenda imprimis attendere debet Episcopus, ne per hæc populus à Parochiali Ecclesia nimitum abstrahatur; atque hinc ulterius ex illo Ecclesiæ Parochialis neglectu oriatur in populo crassa ignorantia, tam circa credenda, quam agenda; prospicereque, ut observetur clausula de stylo solita inserti litteris, quibus usus oratorii seu Capellæ conceditur, Sine Parochialis Ecclesiæ præjudicio; de qua aliquid dictum fuit supra tit. 5. cap. 9. ubi latius de Oratoriis domesticis actum fuit; & parte 1. titulo 24. c. 3. ubi de simili cautione adjici solita admissioni novi Monasterii agitur.

X. Apud Gratianum Can. 10. Dist. 1. De Consecrat. refertur ex Concilio Bracharensi II. "Si quis Basilicam non pro devotione fidei, sed pro questu cupiditatis ædificat, ut quidquid ibidem de oblatione colligitur, medium cum clericis dividat, eo quod Basilicam in terra sua stitit causã condiderit (quod in aliquibus locis usque modo dicitur fieri) hoc de cætero observari debet, ut nullus Episcoporum tam abominabili voto contentiã; nec Basilicam, quæ non pro sanctorum patrocinio, sed magis sub tributaria conditione est condita, audeat consecrare.

Profectò si in extruentione Oratoriorum seu Sacellorum causam extruentionis, Episcopi penitus examinent, verisimile est, quod non rarò deprehenderetur, ea potius questus, quam solidæ devotionis causã extrui; interdumque miracula ficta supponi; falsasque aut non sat probatas reliquias ostentari, ut oblationes populi sibi, suisque Sacellis appropriare queant. Hæc prævidens Synodus Tridentina

23. 4

de-